

exilium dirigendo: locorum sanctissimis episcopis provisuris, ut nihil his contrarium fiat: aut si aliquid committatur, memorata ultio procedat; iudicem vero vindictam differentem imponere, ad scientiam nostram episcopus referat.

CAP. XXVIII. De modo sportularum in persona clericorum.

Sportularum⁷⁵ vero nomine omnem personam in quocumque ecclesiastico officio constitutam, et ad hoc diaconissam et monacham, aut ascetiam aut monastriam pro omni criminali, et pecuniaria causa, cujuscunque sanctitatis sit, sive a clerico: sive a quolibet in militia constituto admonitionem suscipiant aut in regia civitate, aut in provinciis quibus degunt: nec amplius quatuor siliquis dare permittimus. Si vero ex nostra jussione aut ad iudicem, aut ad beatissimum patriarcham missus executor in alias provincias, admonitionem offerat alicui memoratarum personarum: non ultra unum solidum accipiat. Si vero pro una eademque causa multas ex memoratis personis admoneri contingat, unam et solam personam pro omnibus sportulas dare sancimus. Episcopus vero pro rebus ecclesiæ suæ nullam exactionem molestiamque sustineat sportularum, si pro talibus causis admoveatur exactio: actiones videlicet contra ecclesiam propositas œconomis suscipiantibus, aut illis qui in eam causam ordinati sunt. Qui vero contra hæc exigere sportulas præsumperit: in duplam quod accepit, exactæ personæ reddere compellatur: et, si quidem militat, cingulum perdat: si vero clericus fuerit, a clero removeatur.

CAP. XXIX. Ne clerici mulieres superinductas⁷⁴ in propriis domibus habeant, episcopi vero nullas.

Presbyteris autem et diaconis, et subdiaconis, et omnibus in clero conscriptis, non⁷⁶ habentibus uxores secundum sacros canones, interdicitur etiam nos secundum sanctorum regularum virtutem, mulierem aliquam in propria domo superinductam habere: tamen citra matrem, aut sororem⁷⁶, aut filiam, et alias personas que omnem suspicionem effugiant. Si quis autem absque hac observatione mulierem in sua domo habet que potest ei suspicionem inferre, et semel et secundo a suo episcopo aut a suis clericis admonitus ne cum tali muliere habitaret, ejicere eam de sua domo noluerit: aut accusatore apparente approbetur inhoneste cum muliere conversari: tunc episcopus ejus secundum ecclesiasticos canones de clero eum amoveat, curiæ civilis cujus clericus erat, tradendo. Episcopus vero nullam penitus mulierem habere, aut cum ea habitare permittimus. Si autem probetur nequaquam hoc custodiens, episcopatu projiciatur, ipse enim se ostendit indignum sacerdotio.

CAP. XXX. De diaconissis.

Diaconissam vero nullo modo cum viro ex quo potest inhoneste vitæ emergere suspicio, habitare permittimus. Si vero hæc non observet: sacerdos sub quo subjacet, admoneat eam, ut omnibus modis talem virum ejiciat e sua domo, si vero hoc distulerit agere, ecclesiastico ministerio, et propriis emolumentis alienata, monasterio tradatur, et ibi omni suæ vitæ tempore degat: rebus ejus, si quidem filios habeat, inter se et illos secundum numerum personarum dividendis: ut competentem ipsi mulieri partem monasterium accipiens, eam alat, et regat. Si autem non habuerit filios, omnis ejus substantia inter monasterium ubi mittitur, et ecclesiam in qua prius erat constituta, æqua portione dividatur.

CAP. XXXI. De his qui in ecclesia episcopo aut aliis clericis injuriam inferunt.

Si⁷⁷ quis cum sacra ministeria celebrantur, in sanctam ecclesiam ingrediens, episcopo aut clericis, aut ministris aliis ecclesiæ⁷⁸ injuriam aliquam inferat: jubemus hunc verbera sustinere, et in exilium mitti. Si vero hæc sacra ministeria conturbaverit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur: hoc ipso et in litiis, in quibus episcopi aut clerici reperiantur, custodiendo. Et si quidem injuriam solum fecerit, is verberibus exilioque tradatur. Si vero etiam litaniam concusserit, capitale periculum sustinebit: et vindicare jubemus non solum civiles, sed etiam militares iudices.

CAP. XXXII. Ne laici faciant litanias sine episcopo et clericis, et crucibus.

Omnibus autem laicis interdicitur litanias facere sine sanctis episcopis, et qui sub eis sunt reverendissimis clericis. Qualis enim est litaniam, in qua sacerdotes non inveniuntur, et solennes orationes faciunt? Sed et ipsas honorandas cruces (cum quibus et in litiis ingrediuntur) non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi: et si quando opus vocave-

⁷⁵ Authent. Sed hodie, C. de episcopis. — 74. N. 137, c. 1, in fin. — 75. N. 5, c. 8. — 76. L. 9, C. de episcopis. — 77. Authent. Sed novo jure, C. d. 1. — 78. L. 10, C. d. 1. L. 5, C. de his qui ad ecclesias conlig. — 79. N. 2, c. 9, L. 47, C. de episcopis. — 80. N. 5, c. 2. — 81. d.

rit ad litanias celebrandas, tunc solum ipsas sanctas cruces accipere eos qui consuete eas portare solent, et cum episcopo et clericis litanias celebrare: hoc custodiendum sanctissimis locorum episcopis, aut etiam eorum clericis, et per loca iudicibus. Si quis autem in hoc capitulo præsentis nostræ legis virtutem aut transenderit, aut non vindicaverit: predictas pœnas patietur, monasteriorum et reverendissimorum monachorum dispositione.

CAP. XXXIII.

Reliquum nobis est et de venerabilibus monasteriis et reverendissimis monachis formam dare. Illud igitur ante cetera dicendum, etc.

Transcribitur hic in greco totum primum caput Novellæ quintæ supra.

CAP. XXXIV. Ut abbas non tam antiquitate quam bona existimatione censendus sit et eligendus.

Jubemus igitur, abbatem aut archimandritam in unoquoque monasterio ordinari, non⁷⁹ omnino secundum gradum monachorum, sed omnes monachi melioris opinionis existentes eum eligant propositis sacrosanctis Evangelii: dicentes quia neque propter amicitiam, aut aliam quamlibet causam, sed scientes eum et fide rectum, et vita castum, et gubernatione dignum, et qui possit monachorum disciplinam, et omnem monasterii statum utiliter custodire, eum elegerunt: et sanctissimum episcopum sub quo monasterium constitutum est, eum qui ita electus est, modis omnibus abbatem ordinare. Hæc autem omnia que a nobis disposita sunt pro ordinatione abbatum, valere præcipimus et in venerabilibus femininarum monasteriis et asceteriis.

CAP. XXXV. De monachis non⁸⁰ statim vestiendis.

Si quis autem ad monasticam vitam venire voluerit: jubemus, si quidem notus est quia nulli fortunæ subjacet, abbas monasterii si perspexit, schema ei præbeat; si vero non cognoscitur, aut cuilibet fortunæ subjaceat: intra tres⁸¹ annos non accipere eum schema monasticum: ut intra memoratum tempus experiat hujus hominis conversationem monasterii præsul. Et si intra triennium aliquis emerserit, dicens, aut servum, aut colonum, aut adscriptitium suum hunc esse, aut etiam tanquam fugientem agriculturam, aut quasi aliquid rapientem, aut propter aliquam culpam in monasterium eum ingressum: proprio domino hunc restitui cum rebus quas probatur in monasterium introduxisse: jurando primum, quia⁸² nihil patitur a suo domino percipiente. Si autem intra triennium nullus convenierit, aut inquietaverit, aut contra aliquam memoratarum personarum questionem fecerit, abbas monasterii post transcursum triennii temporis, si talem virum dignum judicaverit: tunc det ei schema, et nullus sit ei postea molestus propter fortunam, donec tamen deget in monasterio. Res autem quas in monasterium introduxisse videtur, illas domino reddantur. Si quis autem memoratarum personarum reliquerit monasterium, et ad secularem venerit vitam, aut in civitatibus, aut in agris circumiens, propriæ fortunæ reddatur.

CAP. XXXVI. Ut monachi in uno conclavi habitent⁸³.

In omnibus autem monasteriis, que cœnobita dicuntur, jubemus secundum canones monachos in uno habitaculo omnes separatim dormire, ut mutuum alterutris testimonium castæ conversationis præbeant: nisi quidam tamen ex eis aut propter longævam in monasterio conversationem quiete volentes vivere, in nullo loco nostræ reipublicæ esse monasteria in remotis cellulis intra monasterium constitutis degant: et hoc cum conscientia et voluntate abbatis fieri. Hæc omnia in monasteriis et asceteriis femininarum servantibus, in nullo loco nostræ reipublicæ esse monasteria permittimus aliter. Ubi autem monasterium invenitur, omnibus modis jubemus⁸⁴ viros a feminis separari, et feminas quidem in quo sunt monasterio remanere: viros autem aliud monasterium sibi facere. Si vero plura sunt monasteria, ut necesse non sit nova monasteria edificare: locorum sanctissimus episcopus monachos cum monachis, et feminas cum feminis separare, et in aliis monasteriis congregare procuret; quæcumque vero habentur communia, inter eos secundum competens eis jus dividere. Feminis autem quemcumque ipsæ elegerint sive præbyterum, sive diaconum, ad faciendum eis responsum, aut sanctam eis communionem portantam: sanctissimus episcopus sub quo sunt, deputet, quem rectæ fidei, et vitæ bonæ esse cognoverit. Si vero qui ab eis electus est, non sit presbyter aut diaconus, dignum tamen eum hujusmodi ministerio episcopus judicaverit: ordinationem ei imponat, qui dignus esse videbitur, ut responsa (sicut dictum est) monasteriis distribuat: ita tamen, ut neque sic electus ad responsa feminarum, in monasterio maneat.

c. 2. — 82. d. c. 2, § 1, in fin. — L. 6, § 5, in fin. — C. de his qui ad eccles. — 83. d. N. 5, c. 5. — 84. L. 44, C. de episcopis.

CAP. XXXVII. Conditionem nuptiarum vel liberorum non exstare si quis monasterium ingrediatur.

Si quis sub⁸⁵ conditione nuptiarum, sive liberorum, sive dotis causa, sive antenuptialis donationis donaverit, sive reliquerit suis liberis, sive alii cuicunque personæ hereditatem, sive legatum, aut ab initio pure relinquens eis, oneret eos substitutione, aut restitutione, aut sub una predictarum conditionum reliquerit, vel donaverit: substitutiones vero vel restitutiones eis fecerit adjectis conditionibus quibuscunque ex iis que superius enumeratæ sunt: sancimus, si personæ talibus conditionibus subjectæ, sive masculi, sive femine, monasteria ingrediuntur, aut clerici, aut diaconissæ, aut ascetriæ fiant: tales conditiones invalidas et pro non scriptis esse, hoc autem solatio et clerici et diaconissæ ecclesiarum fruuntur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas aut relictas, ad pia opera expendant aut relinquunt. In personis enim que in monasterium vel asceterium ingrediuntur et reliquunt hujusmodi conversationem castam: monasterio aut asceterio ubi a principio ingrediuntur, res sub tali conditione donatas aut relictas, cum alia eorum substantia competere volumus. Si tamen in redemptionem⁸⁶ captivorum, aut egentium alimentum sub predictis conditionibus substitutio aut restitutio fiat: ex nullo memoratorum modo eam excludi permittimus.

CAP. XXXVIII. Ut qui monasteria ingrediuntur, se suaque dedicerint monasterio.

Si⁸⁷ qua mulier aut vir monasticam elegerit vitam, et intraverit monasterium: filiis non exstantibus, monasterio quod ingreditur, res ejus competere⁸⁸ jubemus. Si vero talis persona filios habeat, et non antequam⁸⁹ intret monasterium, de suis rebus fecerit dispositionem, et legitimam partem filiis deputaverit: etiam⁹⁰ sic liceat ei postquam monasterium ingreditur, suam facultatem in propriis dividere filiis: ita tamen, ut nulli filiorum suorum minuat legitimam partem, quam vero non dederit filiis partem, monasterio competat. Si vero omnem substantiam inter filios dividere voluerit, propria sua persona filiis commutata, unam sibi partem omnibus modis retineat, que debeat juri monasterii competere. Si vero in monasterio degens moriatur antequam inter filios suos proprias distribuat res, legitimam partem filii percipiant: reliqua vero substantiæ pars monasterio competat.

CAP. XXXIX. Ut solutis sponsalibus per monasterii ingressum simplè tantum arrhæ reddantur⁹¹.

Sponsalibus quoque secundum leges factis inter aliquos, sive sponsus monasterium ingrediatur, recipiat que pro sponsalibus arrharum nomine sunt data: sive sponsa monasticam vitam elegerit, illa solummodo reddat que similiter arrharum nomine accepit: pœna utrique parti concedenda.

CAP. XL. Si vir aut uxor ingrediatur monasterium.

Si vero constante⁹² adhuc matrimonio, aut vir solus, aut uxor sola intraverit monasterium, solvatur matrimonium, et citra repudium, postquam tamen persona pergens ad monasterium schema perciperit. Et si quidem vir elegerit monasticam vitam, restituit prius mulieri dotem, et si quid aliud ab ea receperit, et super hoc ex nuptiali donatione tantam partem quanta ex morte viri competeat mulieri, secundum pactum dotalibus instrumentis insertum. Si vero mulier fuerit monasterium ingressa, simili modo retineat vir nuptialem donationem, et casum dotis ex morte mulieris placitum: reliquum vero dotis mulieri restitui præcipimus, et si quid aliud ex rebus mulieris apud eum invenitur. Ambobus autem monasticam vitam eligentibus, jubemus vacantibus dotalibus placitis, virum retinere donationem antenuptialem, et mulierem propriam accipere dotem, et quicquid aliud viro dedisse probetur: ut unusquisque citra damnum suis fruatur rebus: nisi forte sponsus sponsæ, aut sponsa sponso, aut maritus uxori, aut uxor marito aliquid donare aut cedere voluerit: quoniam neque ex pactis nuptialibus viro aut mulieri lucrari aliquid conceditur.

CAP. XLI. Ne liceat parentibus exheredare filios qui ingrediuntur monasteria, velut ingratos.

Nullam vero licentiam damus aut parentibus filios aut filii parentes, secularem vitam relinquentes, velut ingratos⁹³ a sua excludere hereditate, monasterium aut monasticam vitam subsequentes. Interdicitur autem parentibus filios suos monasticam vitam eligentes, ex venerabilibus monasteriis abstrahere.

⁸⁵ Authent. Nisi, C. ad SC. Trebell. — 86. L. 49, C. de episcopis. — 87. Authent. Si qua, C. de sacros. ecclies. — 88. N. 5, c. 5; N. 76. — 89. d. c. 5. — 90. Adde N. Leon. 5. — 91. L. 56, Pr. C. de episcopis. — 92. N. 5, c. 5, in fin.; L. 53, § ult. C. de episcopis. — 93. L. 1, § 1.

CAP. XLII. De monacho monasterium deserente.

Si monachus reliquerit suum monasterium, et in aliud⁹⁴ ingrediatur: quascunque res tempore quo monasterium dereliquerit habere videbitur: proprio monasterio in quod ab initio ingressus est, eas competere jubemus. Providere autem sanctiss. locorum episcopos, ut neque monachi neque monachæ circumeant civitates, sed si quod necessarium responsum habuerint, per proprios responsarios hoc agant in suis manentes monasteriis. Si monachus reliquerit monasterium, et ad⁹⁵ secularem vitam migraverit: hunc militia, et honore, si quem habet, prius spoliato, ab episcopo locorum et provinciæ iudice in monasterium mitti, et res quas postea habuisse probatus fuerit, monasterio, in quod mittitur, competere. Si vero rursus reliquerit monasterium: tunc eum iudex provinciæ in qua inventus fuerit, teneat, et subito sibi officio commoneat⁹⁶.

CAP. XLIII. De raptoribus sanctimonialium.

Si quis rapuerit⁹⁷ aut sollicitaverit, aut corruerit ascetiam, aut diaconissam, aut monastriam, aut quamlibet aliam feminam venerabilem habitum habentem, hujus res ex talis sceleris participio jubemus venerabili loco in quo talis femina habitat, per locorum sanctissimos episcopos et œconomos eorum, nec non etiam cujuslibet provinciæ iudices et eorum officia vindicari. Eos autem qui talia deliquerint, et participes eorum sceleris fuerint, capitale periculum sustinere: talem vero mulierem ubique est, cum propriis rebus in monasterio recondi, in quo cautius custodiri possit, ut non rursus in eodem crimine reperiat. Si vero diaconissa fuerit, et filios habuerit legitimos: legitimam partem dari filiis. Si autem intra unum annum postquam cognoscitur tale facinus commisisse, tales res juri venerabilium domorum non vindicentur: jubemus omnibus modis comitem⁹⁸ privatarum fisco nostro has assignare, locorum iudice qui neglexerit easdem res vindicare, cingulo privando, et multam quinque librarum auri a comite privatarum exigendo.

CAP. XLIV. Ne liceat laicis et scenicis uti monachi schemate.

Omnibus itaque generaliter in seculari vita conversantibus, et maxime theatralia exercentibus viris ac mulieribus, nec non et prostantibus interdicitur uti⁹⁹ schemate monachi, aut monastriæ, aut ascetriæ, aut cujuscunque personæ hujusmodi imitari schema: scientibus universis præmentibus aut uti tali schemate, aut imitari, aut illudere in quacunque ecclesiastica disciplina: quia et corporalia supplicia sustinebunt, et exilio tradentur: providentibus huic rei non solum locorum episcopis, et qui sub eis sunt clericis, sed etiam militaribus civilibusque iudicibus, et que sub eis sunt officii, et locorum defensoribus. Pœnas autem presentem legi insertas, que etiam ex prioribus legibus sunt notæ, non solum in futuris, sed etiam in præcedentibus casibus seu delictis valere, et omnibus modis vindicari sancimus. Per presentem enim legem nuper dispositas videlicet pœnas in solis futuris temporibus servari jubemus.

EPILOGUS.

Tua igitur gloria, que per presentem legem in perpetuum valituram nostra sanxit tranquillitas, per omnia custodiri provideat. — Dat. kal. Maji Constantinop., JUSTIN. P. P. AUG. BASIL. V. C. CONS. MISSA PETRO PREFECTO PRÆTORIO.

TIT. VII.

UT LITIGANTES JURENT IN EXORDIO LITIS, QUIA NEQUE PROMISERUNT DARE JUDICIBUS, NEQUE DABUNT: ET DE SPORTULIS, ET UT QUE JUBENTUR, REFERENDARIUM COMPLEANT, ET NON MISCEANT SEMETIPSOS CAUSÆ, ET PER SE EXEQUANTUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXIV.

Imp. Jestr. Aug. Petro gloriosiss. sacrorum prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

Presentem legem proferimus, ut et iudicum puritas appareat, et non valeat litigantium suffragium circumvenire leges.

CAP. I.

Jubemus¹ igitur, quoties apud quoscunque iudicantes aut administratores, lites aut appellationes examinantur: præ omnibus principales litigantium personas, aut illos ad quos in medium negotium forte migra-

¹ 56, § 1, C. d. 1. — 94. N. 5, c. 7. — 95. d. N. 5, c. 4 et 6. — 96. Alog. N. Leon. 2. — 97. L. 54, C. de episcopis. — 98. Tit. C. de officio comit. rec. privat. — 99. L. 4, C. de episc. aud. Tit. VII. — 1. Authent. Principales, C. de iur. iur. propter culum.

verit, in presentia iudicum tangentes sancta Evangelia, jurare, quod nihil penitus iudicibus, aut patrocini causa ipsis vel alii cuiusque personæ pro hac causa quolibet modo dederunt, aut promiserunt, aut postea dabunt vel per se, vel per aliam quamcumque mediam personam: exceptis iis quæ propriis advocatis pro patrocinio præstant, aliisque personis quibus nostræ leges dari disposerunt. Hæc autem servari præcipimus et in sacro nostro consistorio, quando consultationes intromittuntur, ut sub presentia sacri senatus memorata sacramenta præstentur. Si autem (ut contingit) aliqui litigantium nequeunt ad iudices venire, tunc iubemus præsentibus quidem jurare prædictum iurandum: ad absentes autem dirigi ex officio ministrantibus aliquos cum adversa parte, ut eis præsentibus memorata sacramenta similiter præbeantur. Si vero mulier fuerit, quæ propter honestatem vitæ extraneis viris se monstrare non consuevit: tunc et absente adversario, ex officio missos² memorata suscipere sacramenta. Si autem abesse partes in aliis locis contingat³, aut unam earum: præcipimus absentem in provincia in qua degit, iurandum modo a nobis dicto sub gestis monumentorum apud iudicem provincie, aut apud locorum defensorem præbere. Illo videlicet generaliter observando, ut si quis litigantium absens vel præsens huiusmodi iurandum præbere noluerit, et hoc manifestetur iudici: per sententiam ejus actor quidem casum actionis, reus autem condemnationem sustineat.

CAP. II. Si penitentia ductus litigator personam cui aliquid dedit, proferat.

Si⁴ quis autem ex litigatoribus dixerit se dedisse alicui aut promississe, et personam declaraverit, et hoc probaverit: ipse quidem in eventu litis veniam mereatur: qui vero accepit, aut promissionem suscepit, aut ei probetur: si quidem pecuniaria sit causa, quicquid datur, triplum: quod vero promittitur, duplum a comite rerum privatarum exigatur, et dignitatem seu cingulum quod habet, in utroque casu amittat. Si autem criminalis sit accusatio, confiscationem propriæ substantiæ patiat, et mittatur in exilium, qui propter acceptionem alienum crimen in se transponi festinavit. Si autem datum aut promissum litigator probare nequiverit: juret persona, quæ datum aut promissum dicitur suscepisse, quia neque per se, neque per aliam personam aut accepit aut promissionem habuit: et hoc præbito sacramento, ipse quidem liber sit, litigator autem qui non potuit ostendere, in pecuniariis quidem causis æstimationem litis a comite rerum privatarum exigatur: litem quippe eventum proprium sustinente, in criminalibus autem causis confiscationem suarum rerum sustineat, et causæ apud competentes iudices secundum ordinem legum terminentur. Si autem a litigatore manifestetur persona, quæ memoratum refutaverit iurandum, tam in criminalibus quam in pecuniariis causis, memoratis subjaceat penis. Si quis autem litigantium juraverit non dedisse, aut non promississe, intra decem vero menses post prolata sententiam numerandos ostendatur dedisse: memoratæ penæ et contra dantes⁵ et contra accipientes habeant locum. In causis autem quæ per tutores aut curatores aguntur, sacramenta⁶ quidam tutores aut curatores præstent. Si qua vero memoratarum penarum locum habuerit per talia sacramenta, hæc tutores aut curatores sustineant, nullo ex hoc præiudicio generando iis, qui sub tutela aut cura esse noscuntur.

CAP. III. De illicitis sportulis prohibendis.

Et hoc quoque præcipimus ab omnibus iudicibus tam militaribus quam civilibus in omni loco nostræ reipublicæ custodiri, ut neque magistratibus, neque præfectianis, neque aliis cuiusque executori concedant aliquid amplius a quacumque persona sportularum nomine percipere quam nostris legibus declaratum est, nec si sacram nostræ tranquillitatis proferant iussionem. Sed si quidem invenerint aliquid amplius exigentem: licentiam habeant et comprehendere hunc, et includere, et quadruplum exigere quod plus acceperit: ut simplum quidem damnus passus reddatur, triplum vero inferatur ærario. Si autem civilis aut militaris iudex sive interpelletur, seu quolibet modo neglexerit lasum (sicut diximus) vindicare: ex sua substantia quadruplum secundum prædictum exigatur modum. Ipsam vero penam exigi iubemus per comitem⁸ nostrarum rerum privatarum. Et competentes iudices si cognoverint aliquos ex suis officii executores sportularum nomine contra nostras leges aliquid exigere: et hoc neglexerint vindicare, damus licentiam exactis nihil amplius exigentibus quam ex nostra constitutione definitum est, dare: et si quid amplius exigere eos voluerint, licentiam habeant eis resistendi⁹.

CAP. IV. Ne iudex aliquos ad transigendum compellat.

Quia verolex tam piæ memoriæ patris nostri, quam etiam nostræ¹⁰

² Adde L. 15, D. de iurejurando: N. 123, c. 7. — 3. L. 2, § 3, C. de iurejur. propter calumniam. — 4. Authent. N. iure, C. de potest. iudicis qui male iud. — 5. L. 51, in fin., C. de epis. — 6. L. 2, § 2, C. de iurejur. propter calumniam. — 7. Adde N. 8, c. 6; N. 17, c. 3; N. 26, c. ult. — 8. Tit. C. de offic. comit. rer. privat. — 9. L. 5, C. de execut. et exact. — 10. L.

tranquillitatis disposuit nullo modo iudices suis sententiis inscribere, tanquam ex imperiali verbo ex non scripto procedente iussum sit aliquos adhiberi, aut presentari, sed etiam spectabiles referendarios nostras iussiones secundum quod competit, facere manifestas, easdem leges firmantes, iubemus spectabiles referendarios¹¹, in causis quas docent, seu referunt ad nostram tranquillitatem, nullam habere licentiam eos, aut adjuutores eorum, vel per se, vel per aliam quamcumque personam tenere aliquem, aut sub fidejussoribus facere, aut aliquid exigere, aut cogere transactiones, aut pacta quedam cum suis adversariis exponere, aut quolibet modo in quacumque causa se permiscere. Nihil enim aliud facere eos concedimus, nisi solas nostras iussiones in quocumque negotio, aut ex scripto aut non scripto prolatas, competentibus aut deputatis insinuare iudicibus. Si quid autem presenti legi contrarium aliquis eorum præsumperit agere: is quidem qui damnus aliquid aut circumventionem in suis rebus pertulerit, nullum præiudicium penitus circa jus proprium sustinebit. Qui vero tale aliquid egerit, ex sua substantia damnus læsæ personæ delatum, per competentem iudicem restituere compellatur: et super hoc cinguli et dignitatis sustinebit amissionem. Hæc autem omnia iubemus non solum in futuris causis, sed etiam in his quæ jam inchoatæ, nondum tamen sunt terminatæ, servari.

EPILOGUS.

Tua igitur eminentia presentem legem in perpetuum valituram edictis solemnibus in regia civitate propositis, ad omnium notitiam venire procuret: ut omnes agnoscant quæ pro communi eorum beneficio a nobis disposita sunt. — Datum * BASILIO CONS.

TIT. VIII.

UT IUDICES NON EXPECTENT SACRAS JUSSIONES, SED QUÆ VIIDENTUR EIS DECERNANT.

NOVELLA CONSTIT. CXXV.

Imp. Justin. Aug. Gabrieli gloriosiss. prætoriorum præfecto.

PREFATIO.

Quoniam quidem iudicantium, post multa litis certamina, et plurima a litigantibus facta dispendia in negotiis apud eos motis, suggestionibus utuntur ad nostram tranquillitatem: presentem generali lege hoc perspeximus emendare, ne dilaciones negotiorum ex hoc fiant, et aliud rursus principium examinationis accipiant.

CAP. I.

Iubemus¹ igitur nulli² iudicantium quolibet modo vel tempore pro causis apud se propositis nuntiare ad nostram tranquillitatem, sed examinare perfecte causam: et quod eis iustum legitimumque videtur, decernere: et si quidem partes cessaverint in iis, quæ decreta sunt, executioni tradi sententiam secundum legum virtutem. Si autem aliquis putaverit ex prolata novissima sententia se læsum, appellatione utatur legitima: et hoc secundum ordinem legibus definitum examinetur, et perfectum suscipiat terminum. Si autem duo vel amplius fuerint cognitores litis, et aliqua inter eos emergat dissonantia: etiam sic iubemus unumquemque eorum secundum quod videtur ei, dare suam sententiam.

EPILOGUS.

Quæ igitur per presentem legem in perpetuum valituram nostra tranquillitas definivit, tam tua celsitudo, quam omnes alii iudices majores et minores custodire festinent: ut nullus penitus ignoret, quæ pro utilitate nostrorum collatorum a nobis disposita sunt: ita tamen, ut universis interdictis proprio præcepto, quatenus sine ullo injusto dispendio nostris collatoribus insinuatæ legis presentis fiat. — Dat. id. octobr. Constantinop., DN. JUSTIN. P. P. AUG. BASILIO V. C. CONS.

TIT. IX.

EXEMPLUM SACRÆ FORMÆ DE APPELLATIONIBUS¹.

NOVELLA CONSTIT. CXXVI.

Imp. Justinianus Aug. Petro gloriosissimo prætoriorum præfecto.

PREFATIO.

Manifeste Theodosius et Valentinianus sacratissimi principes lege²

¹ C. de mandatis princip. — 11. N. 10, N. 14, c. 1. — Tit. VIII. — 1. Authent. Novo iure, C. de relationibus. — 2. Abrogat. N. 61, c. 14; N. 145, c. 1, pr. — Tit. IX. — 1. Adde N. 20, N. 23, c. 1. — 2. L. 52, C. de appellationibus.

TIT. X.

UT FRATRUM FILII SUCCEDANT¹ PARITER AD IMITATIONEM FRATRUM ETIAM ASCENDENTIBUS EXSTANTIBUS. ET UT MULIERES NON INSINUATA ANTENUPTIALI DONATIONE NON LÆDANTUR: NON INSINUANS AUTEM VIR, VEL SI COMPETAT NUPTIALE LUCRUM, EO NON FRUATUR; ET RURSUS UT MULIERES NON SECUNDO NUBENTES, DOMINÆ SINT PARTIS SPONSALITIÆ LARGITATIS, QUANTUM PARS FACIT UNIUS FILII; ET UT SIMILES SINT POENÆ UTRIQUE SEXUS, DUM SINE CAUSA RATIONABILI REPUDIUM MITTITUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXVII.

Idem August. Basso præfecto prætoriorum.

PREFATIO.

Nostras leges emendare nos non piget, ubique utilitatem subjectis invenire volentes. Meminimus igitur scripsisse legem², per quam iussumus, ut si quis moriatur relinquens fratres, et alterius fratris filios præmortui: ad similitudinem fratrum, et præmortui fratris filii ad hereditatem vocentur, paternum adingredientes gradum, et illius ferentes portionem. Si vero moriens relinquat ascendendum aliquos, et fratres ex utrisque parentibus conjunctos sibi, et filios ex præmortuo fratre: fratres quidem iussumus per ipsam legem cum parentibus vocari: fratris vero filios exclusimus.

CAP. I. Ut fratrum filii succedant etiam ascendentibus primi gradus exstantibus.

Hoc³ itaque juste corrigentes⁴, sancimus, ut si quis moriens relinquat ascendendum aliquem, et fratres qui possint cum parentibus vocari, et alterius præmortui fratris filios: cum ascendentibus et fratribus vocentur etiam præmortui fratris filii: et tantam accipiant portionem, quantum eorum futurus erat pater accipere si vixisset. Hoc vero sancimus de illis filiis fratris, quorum pater ex utroque parente iungebatur defuncto, et absolute dicimus: ordinem, quando cum solis vocantur fratribus, eundem eos habere iubemus, et quando cum fratribus vocantur aliqui ascendendum ad hereditatem, [hoc iubentes ex kal. Jan. presentis indicationis undecimæ.]

CAP. II. Quando donatio propter nuptias insinuationi subjaceat⁵.

Illud⁶ quoque dignum correctione aliqua esse iudicantes, partem hoc presentis facimus legis: ex ipso enim rerum inventientes experimento, necessarium esse mulieribus, actis monumentorum antenuptiales donationes insinuari, ut vel si principalia instrumenta⁷ pereant, (quod facile est) per monumenta matrimonii ejus probatio maneat: sancimus necessitatem habere viros ipsos, aut etiam qui pro eis antenuptiales donationes scribunt, si quingentorum solidorum transcendit quantitatem, insinuare eam in actis monumentorum, in regia quidem civitate apud magistrum census: in provinciis autem apud uniuscujusque civitatis defensorem, aut apud quos omnino talia documenta confici possunt. Si vero non insinuent eas: quantum quidem ad partem mulieris, etiam sic eas valere iubemus, et si tempus fiat exactionis, donationis, et partis ejus: non opponi mulieri non insinuatam fuisse donationem. Si vero dotalem pacta et horum eventus parti⁸ viri concedunt actionem dotis, aut etiam ejus partis: nullam eum habere iubemus actionem, si non donationem insinuavit in actis monumentorum, sicut dictum est, viris enim habentibus potestatem insinuare donationes, pro non insinuatæ periculum mulieribus imminere, ineptum nobis esse videtur.

CAP. III. Ut mulier quæ ad secundas non transit nuptias, tantum habeat, quantum unus filiorum.

Quia⁹ vero mulieres ad secundas nuptias non venientes, portione aliqua dignas ultra eas quæ secundo nubunt esse putamus: si qua amisso viro, alterius abstineat nuptiis, habere quidem eam usum antenuptialis donationis, sicut prius sancimus; habere vero eam et proprietatis¹⁰ tantum, quantum filiorum quantitas faciat: ut secundum proprietatis rationem unius et ipsa filii personam obtinere videatur. Hæc vero valere non in matribus solis iubemus, sed etiam in patribus, et aliis ascendentibus volumus, ad secundas nuptias non venientibus.

cursum, C. de donat. ante nupt. — 7. L. 6, in fin.; L. 7, D. de edendo. — 8. Abrog. N. 119, c. 1. — 9. Authent. Si tamen, C. de secund. nupt. — 10. Adde N. 22, c. 20, § 1; abrog. N. 92, c. 1; vide tamen N. Leon. 22.

expresserunt, ut causas appellationum quæstor sacri palatii una cum præfecto Orientalium prætoriorum, qui pro tempore thronum regat excellentiæ tuæ, secundum formam sacram consultationum examinaret. Invenimus autem in huiusmodi examinationibus aliquid evenire, quod et repub. et nostro indignum sit imperio. Litigatores enim et procuratores, et horum advocati, et omnes, qui in huiusmodi causis ministerium suum adhibent, quasi nobis ipsis præsentibus et audientiam præsentibus, tam veste, quam calceamentis, et verbis apud nostros magistratus utuntur, quibus solummodo uti convenit eos qui ad majestatem ingrediuntur imperatoriam. Quin et ipsi iudices non ex propria persona, sed quasi nobis ipsis presentibus et interloquentibus, ita suas proferunt sententias.

CAP. I.

Quod de cætero in quocumque iudicio fieri prohibemus, sancientes, ut sacri quidem nostri palatii pro tempore quæstor quidem una cum tua excellentia, sive pro tempore sacrorum prætoriorum præfecto huiusmodi causas examinet: non autem ex nostra, sed ex propriis personis interlocutorias proferant, et legibus cognitam edant sententiam: solitis videlicet scriniis in huiusmodi cognitionibus suum adhibentibus ministerium: scientibus quoque magistratibus, qui id genus causas dijudicant, quod si quid hæc contra quocumque modo de cætero delicti fuerit-admissum, crimini perduellionis subiacebit.

CAP. II.

In omnibus præterea appellationibus hoc valere iubemus, ut quotiescunque appellatione interposita, intra præfinitum tempus utraque pars fatalem diem observaverit, absque omni dilacione iudices tum acta causæ, tum iudicata examinare studeant, et legi ac juri consentaneam deponere sententiam. Sin vero solus is qui provocavit fatali die ingressus fuerit: iubemus, ut iudices sub extremum fatalem diem, si vel requisitus victor non inventus fuerit, examinatis actis causa legitimum adsignent terminum. Si solus is qui victicem retulit sententiam, ingrediat: qui vero provocavit, requisitus inventus non fuerit: præstolentur iudices non solum ad extremum usque fatalem diem, sed etiam per tempus reparationis, hoc est, tres menses. Quod si ne tunc quidem inventus fuerit, qui provocavit, non amplius decursu temporis corroboretur sententia, sed vel una tantum parte presente iudices actitata in causa, et iudicata examinent. Et si quidem recte prolata sententiam invenerint, eam confirmant. Si quid in ea per negligentiam omissum est: id corrigant, et legitimam edant sententiam. Simulatque vero semel appellationis causa inter eos dies, qui dilacionis causa præfinita sunt, sive ab utraque parte, sive ab una tantum introducta fuerit: non amplius biennii decursu firmitatem de cætero capiat sententia, sed attentis oculis veritate ac jure considerato, terminum huiusmodi causis legitimum adhibeant, sive una, sive utraque parte presente. Ac propterea iubemus, ut in hoc genere causarum non amplius, quemadmodum in presentem usque diem obtinuit, in primam appellationem omnes cognitiones conferantur, sed unaquæque cognitio suam diem præscriptum habeat.

CAP. III.

Ad hæc sancimus, ut omnes iudices appellationem quidem, quæ intra deputatos dies offertur, neque interdicta est legibus, omnibus modis suscipiant¹. Intra tringinta vero dies quam oblata fuit appellatio, actitata⁴ in causa cum propria subscriptione præbeant litigatoribus, ut illi pro suo hæc auxilio competenti possint insinuare magistratui. Quod si quis iudicium hoc facere supersederit: sententia quidem temporis decursu confirmabitur, ipse vero iudex, qui ista non observavit, quique huic apparent, omne damnus, quod per causam non editorum actorum litigator sustinerit, ex propriis facultatibus ei resarcire compellentur, et denarum librarum auri penam nostris inferendam rebus privatis persolvent.

EPILOGUS.

Gloriosa igitur, et magnis rebus gerendis nata auctoritas tua presentem legem et in regia urbe proponere studeo, et alibi manifestam facere procurato, ut omnes cognoscant, quid observare debeant.

¹ N. 12, c. 15. — 4. N. 154, c. 3; L. 24, C. de appellat.

Tit. X. — 1. Abrogat. L. 3, l. 14, in fin., C. de legitimis heredibus. — 2. N. 118, c. 5. —

3. Authent. Cessante, C. de legit. heredibus. — 4. Abrogat. d. N. 118, c. 5, vers. si autem cum fratribus, circa fin. pr. — 5. L. ult., C. de jure dot.; L. 54, C. de donat. — 6. Authent. Eo de